

omnem aliunde acciperet. De **CHRISTO** etiam secundum divinam naturam omnipotentia dicitur *ἰσχυρῶς*. Indeque quando omnipotentia filio data dicitur secundum divinam naturam, intelligitur eo planè modo ac fine, quo vita apud Evangelistam Johannem à patre filio data legitur, ut nimirum ita vitam in semetipso haberet, quemadmodum pater in se habet. Quocirca per hanc dationem *λόγῳ* non accepit vel *ἰστίαν* vel *ἐξουσίαν* à patre, ut regeret Ecclesiam, sed ut esset æterni patris æternus filius: ut ita huius dationis finis non obtineatur extra, verùm intra sacrosanctam Trinitatem.

126. Non igitur ob opus redemptionis & Ecclesiæ regimen opus erat, ut divina **CHRISTI** natura, in tempore primùm omnem potestatem, quam ab æterno habebat, acciperet: sed potuit illam ipsam potestatem, per generationem à patre acceptam, ad opus illud in tempore applicare.

127. Quin imò hæc datio si secundum utramque naturam esset intelligenda, tum argueret naturarum æqualitatem. Una enim apud Evangelistam loco allegato docetur donatio, una dicitur & definitur potestas, unus idemque finis indicatur: una igitur acceptio. Neque modus habendi innunitur diversus, quemadmodum apud Johannem; neque eius unius diversitas ullibi explicatur, nec admitti potest, si vel maximè excogitetur.

128. Unde porrò ita inferimus: Si **CHRISTUS** secundum utramque naturam illam accepit potestatem: tum erit in utroque aut essentialiter, aut non essentialiter: Ergo secundum utramque naturam aut erit essentialiter omnipotens **CHRISTUS**: aut non essentialiter.

129. Si essentialiter utraque natura omnipotens, utraque  
E utique